Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

potestas inimici, ut ab ea longius repellatur: ut reddita ei sanitate, libera tibi deseruiat, deuota et secura: sub hac ueritate transgressionis et suggestionis præmemoratæ, præcipio uobis nequam maligni spiritus, ut recedatis ab hac famula Dei. N. quæ uero deo et domino nostro Jhesu Christo data et deputata est in baptismate, et uobis abdicta. Date igitur locum domino nro Jhesu Christo, date honorem deo, de quo scriptum est, in nomine domini omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, alioquin iudicium et iusticia Dei uos terreat atq; puniat: ut exeatis in infernum arsuri sempiterne, per eum qui uenturus est. etc. ad honorem nominis et potestate patris et filij, et spiritus sancti. Amen.

Dicat exorcista ad aures obsesse.

Attendite nequam spiritus per tremendum iudicium. Vos enim fuistis de numero illorum, cum splendorem habuistis coram maiestate diuina, et propter superbiam et malitiam uestram deiecti estis cum Lucifero in ignem æternum: Exite igitur, date honorem deo, cuius potestati contraire non potestis. Sub hac ueritate recedite ab hac famula Dei. N. ipse enim misericors dominus ad punienda peccata huius famulæ, uobis ipsam flagellandam et purgandam permisit: Sed quia uirga et baculus Domini consolantur peccatores quos uerberatis, adest igitur tempus ut recedatis: Conuro